ſputum, incarnationem Chriſti oſtenditur per quam inluminatus eſt genus humanum: impoſitis manibus i. e. dedit adjutorium operationis.

Video homines velut arbores, hic oſtendit exemplum humilitatis ut nullus extollatur de virtutibus ſed minorem & inferiorem ſe exiſtimet omnibus. Iterum impoſuit manus ſuper oculos: & aperti ſunt, oſtendit quia aperuit corda hominum ut viderent ſcientiam Dei clare & ſine dubio crederent: reſtitus eſt i. e. in bonis operibus.

Miſit illum in domum ſuam, i. e. revocavit illum ad priſtinam mundanæ naturæ: diſcenſio Chriſti de monte, oſtendit ejus diſcenſionem è cœlis: hic diſcipuli, ordinem tenent Prophetarum vel Patriarcharum: turbæ inquirentes ab eis, adventum Chriſti oſtendit: Quod turbæ, legem à Prophetis & Patriarchis conquirebatur; ſalutabant eum, hic ſalutem pro humilitate intelligitur: qui adtulit filium ſuum, ordinem tenet Patriarcharum filius genus humanum oſtendit: per ſpumam ſuperbiam oſtendit: per ſtridorem dentium, per areſcere avaritiam, oſtendit diſcipuli non potuerunt curare: hic diſcipuli figuram tenent Patriarcharum, quia neque Prophetæ neque Patriarchæ potuerunt curare humanum genus, niſi veniens Chriſtus ſuo ſanguine redemit illum, ut ait Propheta frater non redemit i. e. Moyſes per legem redemit.

Homo i. e. Chriſtus: Ab infantia i. e. prima ætate generis humani: dixit pater infanti; credo adjuva incredulitate mea, oſtendit dixiſſe, ſi deeſt fides adauge, multum diſcerpens eum: oſtendit quia quando vidit diabolum eraſurum de terra in fine mundi: tunc datur illi poteſtas, ut faciat quantum vult propter electos Dei: cum vidit ſe de uno quoque hominem per confeſſionem & pœnitentiam expelli, tunc contra illos plus ſuſcitavit vitia & crudeliſſimas impugnationes, factus eſt velut mortuus: hic exemplum oſtendit purgatum hominem, i. e. qui per confeſſionem & pœnitentiam, mortificat ſemetipſum: hic videtur duo miracula feciſſe Jeſus, à dæmonio curavit & quaſi mortuum ſuſcitavit: ſic ſuſcitavit genus humanum à morte peccatorum, & liberavit à dæmonio ſervitutis, per molam circuitus ſæculi oſtenditur: per aſinum immunditia peccatorum.

Mergere in mare i. e. humiliare ſe in ſacculo per pœtentiam vel perire in properio peccato: quia levius eſt pro ſe ſolo pœnam ſuſtinere, quam & alii à regno Dei diſturbent: per vermes oſtendit ſera pœnitentes, ſemper comedit illum in pœna quia dum ſpatium habuit non emendavit, omnis igne ſalietur: per ignem accenſio Spiritus ſancti intelligitur, quia ſicut omnis caro periit ſine ſal, ita & omnis homo ſine ſcientia verbi Dei infatuetur: habete ſalem in vobis, i. e. habete ſapientiam Dei in vobis: Venit in finibus Judæ, oſtendit in futurum reverſos ad fidem Chriſti Judæos.

Ultra Jordanem i. e. ad gratiam baptiſmi: ſinite parvulos venire ad me, hic parvuli tenent figuram gentium: diſcipuli qui prohibebant, figuram tenent Judæorum, camelos per foramen acus non poſſet tranſire, niſi depoſitis oneribus, ſic & Judæi niſi depoſita onera peccatorum, ſive divitias non poſſunt intrare in regnum Dei: quid relinquit Petrus qui dixit: nos omnia relinquimus, oſtendit quia multum relinquit homo, qui ſemetipſum poſtponit, præcedat eos, i. e. præcedat oves ſuas exemplis: per calicem, oſtendit paſſionem, per baptiſmum mortificationem ſive dormitationem Eccleſiæ: ſicut Adam per tres peccavit i. e. concupivit prævaricavit, ſuperbe egit: ita & Chriſtus tres dies fuit in ſepulchro: ſimiliter & proinde, ter mergitur homo ſub unda baptiſmi: unde ait Apoſtolus conſepulti enim ſumus cum Chriſto per baptiſmum: in morte enim ipſius baptizati ſumus, qui voluerit in vobis primus eſſe: erit omnium ſervus, hic oſtendit doctores Eccleſiæ: cæcus tenet figuram gentium, ſedebat juxta viam i. e. juxta fidem.

Clamabat ad Jeſum, miſerere mei: Moralem ſenſum, cum incumbemus in oratione, tunc turba fantaſma, mentes fidelium increpant, ut taceant dum volunt nos excludere ab oratione perſeverantibus nobis: tunc Jeſus ſtans ſecus nos: ſtare enim divinitatis eſt; tranſire vero humanitatis eſt: præcepit illos vocare i. e. per prædicationem Apoſtolorum: Vocat gentes ad fidem: projecit veſtimenta ſua, i. e. priſtinam converſationem ſuam: exiliens i. e. de ignorantia ad ſcientiam de infidelitate ad fidem: invenietis pullum alligatum oſtendit gentes alligatas, cum culpa peccatorum: ſuper quem nemo ſedit i. e. ubi nullus doctor prædicavit: ſolvite & adducite ad me i. e. per prædicationem adducite ad fidem, vidit arborem fici, oſtendit quia longe erat fides Judæorum à Chriſto.

Non erat tempus ficorum i. e. non erat tempus Judæorum ut crederent, quod ſe indigne judicaverunt, regnum non ſciebat vas transferre per templum, qui corda fidelium: Non vult Chriſtus aliud fieri opus, vel tranſire niſi quod ſanctum eſt: tradi eam colonis i. e. cuſtodire legem: torcular, hoc eſt templum Salomonis: Aliter oſtendit martyrium: Venit ad ſynagogam; ſynagoga ſæpe cuſtodia angelorum: turrem, hoc eſt lex: ejecerunt eum extra vineam i. e. de Judæis ad gentes. Aliter de civitate Jeroſolima in montem Calvariæ.

Vidua miſit duos nummos quod eſt quadrans, per quos intelligit hominem quadrantem qui ſe Deo obtulit: quæcumque petieritis, credentes in oratione, fiet vobis: quomodo ſic ſanctus Paulus dicit: ter rogavi Dominum pro ſtimulo & non receſſit à me: diabolus petiit ut temptaret Job, & permiſit eum Deus Paulus non eſt exauditus, ut per ipſum ſtimulum coronaretur: diabolus exauditus eſt, ut per ejus temptationes Job coronaretur: proinde Apoſtolus ait, neſcimus quid petamus, niſi Chriſtum qui interpellat pro nobis: gens adverſus gentem i. e. paganorum adverſus Chriſtianorum: Moraliter caro adverſus animam: regnum diaboli contra regnum Chriſti, vitia carnis adverſus ſpiritum bonæ operationis: terræ motus i. e. de infidelitate ad fidem, i. e. corpns ſive anima audiendi verbum Dei: ſtantibus propter me in teſtimonium illis i. e. ſi crediderint teſtimonium veſtrum: erit illis ad vitam, etſi non crediderint erit illis ad pœnam.

De die & hora nemo ſcit: Niſi pater, oſtendit pro parte corporis, quia corpus Chriſti Eccleſia eſt: quod dicit neſcitis tempus i. e. exitum uniuſcujuſque ſive conſummationem ſæculi.

Homo peregre profectus eſt i. e. Chriſtus de mundo cum carne ad cœlum: reliquit domum ſuam i. e. Eccleſiam: doctoribus uniuſcujuſque operis i. e. uniuſcujuſque gratiæ virtutis: per genitorem, Epiſcopum oſtendit, ſive doctorem, ſero ſuper Sodomam pluit ignis & ſulphor de cœlo: media nocte percuſſa eſt Ægyptus in primogenitis ſuis: mane ſubverſa eſt Sodoma & aſcendit favilla ejus uſque ad cœlum: ne veniat repente, inveniat vos dormientes i. e. in ignorantia ſeu in ſecuritate negligentiæ.

Fretus alabaſtrum: ſignificat corpus Chriſti vulneratum in cruce. per unguentum confeſſio fidei oſtenditur: caput Chriſti Deus Pater eſt; quærebat oportune ut traderet eum, oſtendit quia oportune tempus advenerat ad perditionem Judæorum, ſive Judææ, & oportunitas redemptionis Eccleſiæ: primo die azimorum i. e. die jovis azima ſinceritatis eſt facta eſt Eccleſia, tranſitus quatuor modis dicitur i. e. de mundo ad patrem, de Judæis ad gentes, & nos de infidelitate ad fidem, de morte ad vitam.

Homo languenam aquæ bajulans, figuram tenet Apoſtolorum, ſive ſucceſſorum & baptizatorum per quos baptiſmum efficitur, languena baptiſmum Trinitatis ſignificat: Paſcha manducare cum diſcipulis ſuis; oſtendit ſe cum diſcipulis ad Judæos: Aliter manducat in membris ſuis qui eſt Eccleſia: per cœnaculum altior vita oſtenditur: per ſtratum magnum amplectitudo Eccleſiæ oſtendit: Agnum immolatum in Ægyptum: oſtendit immolatum in novo Teſtamento myſterium corporis & ſanguinis, quod vetus ſacrificium Judæorum receſſit i. e. ſanguis hircorum & taurorum: nam noſtrum ſacrificium quod vinum dicitur Melchiſedech oblatum eſt revertente Abraham de cede: pro quid ſigillatim interrogabant, oſtendit ut nullus confidat de conſcientia ſua: relicto ſyndone fugiit nudus ab eis, oſtendit relicta malitia Judæorum nudus fugiit, oſtendit quod Apoſtoli nudi à ſuperſtitionibus Judæorum abierunt ad gentes, calefaciebat ſe Petrus ad ignem, ſignificat tepiditatem Apoſtolorum & ſuam negationem & infidelitatem Judæorum.

Videbunt filium hominis ſedentem à dextris virtutis, oſtendit quia vidit illum Stephanus: vidit & Saulus quando proſtratus fuit in via: viderunt & alii plures. Pilatus interpretatur os malleatoris: qui format non formatur, ita & perſecutores formant animas juſtorum ad regnum cœlorum; ipſi informes remanſerunt à gratia Dei, ſpineam coronam Dominus in ſe ſuſcepit, ut ſpinas peccatorum noſtrorum ablueret, unde dictum eſt Adæ: ſpinæ & tribuli germinentur tibi: de tertia hora quod dicit Jeſus crucifixum, oſtendit eum judicatum ut crucifigeretur: ſexta hora levatus eſt in cruce: eli eli lemaſabactani, quod eſt Deus Deus meus quare me dereliquiſti, oſtendit pro parte carnis, non ſecundum divinitatem reliquid, quia unitas eſt poteſtatis, reliquid carne filii ad hora in paſſione, ut per proprium filium adoptatos filios haberet: ſicut ſpongia plenas cavernas aceto ita & Judæi pleni erant ſuperſtitionibus & acerva doctrina: Joſeph figuram tenet primitivæ Eccleſiæ, ex gentibus mercatus eſt ſyndonem per pretium, ſindone oſtendit confeſſione fidei: per ſyndonem oſtendit mortificationem Eccleſiæ ſive gratia baptizatorum, involutum corpus Jeſu in ſindone novo, i. e. circumdato Chriſti Eccleſia & revocationem regenerationis: per monumentum & ſindonem, oſtendit altare in quo corpus Chriſti ponitur: Aliter Eccleſia, qui receperunt Chriſtum per fidem in cordibus ſuis, ſive manducandum corpus illius & ſumendum ſanguinem ejus: petra Chriſtus eſt.

Monumentum ſciſſum, petra oſtendit Eccleſia ædificata de latere, Chriſti: Advolvit lapidem ad oſtium monumenti: oſtendit abſconſum Chriſtum in lege & prophetia, revolutum lapidem oſtendit apertam hiſtoriam legis, Chriſtum, in novo teſtamento: Non eſt hic i. e. non eſt apud Judæos i. e. ſed apud gentes: Ite dicite diſcipulis & Petro: Nominat pro negatione, ut non diſperaret & pro principatu Apoſtolati.

Maria de qua ejecerat ſeptem dæmonia. Per ſeptem dæmonia oſtendit totam vitam illius inquinatam, quia per ſeptem dies volvitur: prædicate Evangelium omni creaturæ i. e. omni homini quia homo partem habet cum alia creatura, cum angelis intelligere vel diſcernere, cum jumentis videre & ſentire, cum arboribus vivere: lignum vivit ex viriditate, ſic & homo per juventutem, cum lapidibus eſſe, quia ſicut lapides, ſunt & homines credentes.

Dæmonia ejicient: ſive ſpiritaliter ſive corporaliter; linguis novis loquentur, ſive diverſis linguis: Nova lingua prædicatio Evangelii eſt, ſerpentes tollent i. e. veneno ſerpentino ſive doctrina hæreticorum, ſi mortiferum biberint non eos nocebit, nec doctrina hæreticorum: ſuper ægros manus i. e. ſive corporis ſive animæ: tres legimus cum corpore de mundo adſumptos in cœlo: Dominus elevatus eſt à ſua virtute, quia nec per concubitum genitus, nec per concubitum generans, ſed ex virgine natus eſt: Enoch ablatus eſt, quia per concubitum generans: Elias cum curro raptus eſt, quia per concubitum genitus eſt non per concubitum generans quia virgo permanſit.

Explicit Marcus.

INCIPIT EXPOSITIO

IN EVANGELIUM

SECUNDUM LUCAM.

LUCAS ipſe conſurgens, Syrus natione Antiochenſis arte medicus diſcipulus Apoſtolorum: ſecutus eſt Paulum ſerviens Deo ſine crimine: nunquam habens uxorem; LXXXIII. annorum obiit in Bithinia plenus Spiritu ſancto, ſepultus in Conſtantinopoli. In Achaia, Græca lingua Evangelium ſcripſit: Mathæus ſcripſit Judæis fidelibus: Marcus pœnitentibus: Johannes perfectis: Lucas Græcis fidelibus.

Fuit in diebus Herodis, & reliqua. Hic implevit ordinem, dixit regem & regionem in qua fuit, ſacerdotem & gentem ejus & uxorem ipſius indicat: de vice Abia i. e. in diebus Domini; Zacharias memor Domini interpretatur: cui aparuit Angelus Domini ad dextris altaris, oſtendit quod ei quia memor Domini eſt demonſtratur myſterium Dei: Abia pater Domini interpretatur, aptum fuit ut in tempore officii. Patris Domini ceptus eſſe iſte qui patrem Dominum prædicaſſet: Elizabeth: Dei mei ſaturitas interpretatur: figuram Mariæ portat, quæ plena Deo fuit, & ambo juſti coram Domino non coram hominibus, quia olim ſterilis in lege maledictus fuit: Incedentes in omnibus mandatis i. e. totam legem ſervabant.

Non erat illis filius, quia Elizabeth ſterilis, & ambo perſeverant in diebus ſuis: Ideo hæ duæ cauſæ, memorat teſtimonium, major fuiſſet virtus: ingreſſus Zacharias in templum i. e. Chriſtus in Mariam, populus orat, idem primum rogat Zachariam populus i. e. libertatem de captivitaie: aparuit ei angelus, non dixit venit, quia ibi ante fuit: Zacharias turbatus eſt i. e. quia Judæi turbabantur adveniente Chriſto: exaudita eſt oratio tua i. e magis quam petiſti: rogaſti pro liberatione plebis & donatus eſt tibi præcurſor & multi in nativitate ejus gaudebunt quia poſt perditionem gaudebunt in vitam æternam: quia ipſe dixit ecce agnus Dei & reliqua: præcedit Chriſtum, ante baptizatur & prædicavit ante conſpectum, ante natus & mortuus: ſex cauſas, quia ſex menſes inter eos erant: ego ſum Gabriel i. e. fortitudo Dei: concepit Elizabeth, non dixit de Zacharia: cognovit uxorem ſuam: quia defecit ab eis voluntas deſiderii: & occultabat ſe propter pudicitiam: ut probaret quod conceperat ſi verum fuiſſet: menſibus quinque i. e. v. milia ſæculi ſive quinque libri Moyſi.

Auferte obprobrium meum i. e. ſterilitatis obproprium & conceptionis in ſenectute inter homines, quia non fuit obproprium apud Deum ſicut in ſexto menſe miſſus eſt Gabriel à Domino in civitate ita in ſexto milliario mundi miſſus eſt Chriſtus: Joſeph ſalvator interpretatur qui ſalvavit Ægyptum de fame: ſive Maria; benedixit, i. e. à carne Chriſti: turbata autem quia neſciebat, ſi præterito an futuro quod angelus dixit: Spiritus ſanctus venit in te; Spiritus nomen eſt, omnis gratiæ quando inſpiratur quomodo agnovit Maria quod dixit angelus, vel dum plena erat ſpiritu ſciebat quod angelus locutus eſt ei: Virtus altiſſimi obumbravit tibi i. e. abſcondit te in Ægypto fugiendo: cognata tua ideo dicitur, quæ Elizabeth de tribu Levi fuit i. e. de tribu Dei: ecce ancilla Domini ut dicit, filius ancillæ tuæ.

Abiit in montem cum feſtinatione: qui omnis voluntatem Dei implere: feſtinare debent: exultavit infans in utero matris ejus i. e. honoravit filius filium ſicut honoravit mulier mulierem. Exclamavit voce magna. Aptum fuit quia de Johanne dictum eſt vox clamantis in deſerto: Johannes eſt nomen ejus; cur non dixit Johannis erit? quia ab angelo vocatus eſt antequam conciperetur, & mirati ſunt i. e. convenientia inter patrem & matrem: benedictus Dominus noſter bonitatem Dei dum rogavit Zacharias pro liberatione plebis, illi præcurſor donatum eſt: Erexit cornu ſalutis i. e. Chriſtus quia cornu nec caro eſt nec oſſus: ſic & Chriſtus nec caro nec caro eſt: tantum divinitas, puer creſcebat i. e. corpore: hæc deſcriptio prima facta eſt i. e. Romanis, quia Julius primus regnavit Romanis, ſed non tenuit univerſum mundum: & poſt eum regnavit Auguſtum poſt Auguſtum Tiberius, in tempore Auguſti & Tiberii tempus Chriſti completurus baptiſmum ſuum: quia XV. anno de regno Auguſti venerunt in uno curro ad civitatem ſuam Auguſtus & filius ejus Tiberius poſt quam adſuerunt agnum mundi, oſtendit quod in regno ejus naſceretur ipſe, qui regnaret in univerſo mundo & pater unitatem filii ſui voluntatem, ipſo tempore apparuit circulus æreus erga ſolem, oſtenditur naſcitur in tempore ejus, cujus poteſtas & pulchritudo & lux & ſapientia, circumdediſſet omnem potentiam: primam pulchritudinem lucem & ſapientiam: ipſo tempore fluxit fons oleum à tabernaculo meritoria tota die, uſque ad veſperum: oſtendit quod naſcitur in tempore ejus, a quo fluxiſſet fons olei i. e. ſpiritalis unctio per totum Evangelium uſque in fine mundi: Auguſtus patrem figurat, Tiberius filium: propterea cenſus datur ut ſciret rex numerum hominum & magnitudinem à Perſide Syriæ, oſtendit locum de quo Chriſtus fuit, ut prophetarent ſinguli in ſua, civitatem oſtendit, ut nullus extra Eccleſiam, cenſum Deo reddat: poſitus in præſepio i. e. corpus Chriſti ſuper altare: bos & aſinus in præſepio Chriſti oſtendit gentes & Judæos communicare ſuper altare: locus in diverſorio i. e. domus inter duos muros, duas januas habet: figuram Eccleſiæ, inter paradiſum & mundum, exercitus militum oſtendit ducem Chriſtum ſequere: paſtores loquebantur, aptum fuit ut paſtores loquebantur, aptum fuit ut paſtores teſtimonium darent: de vero agno: tranſeamus in Bethleem oſtendit nobis non aſpicere retro, nec ad dexteram nec ad levam niſi ad Chriſtum: invenerunt Mariam, Joſeph & infantem, per

hos tres ſanatus eſt mundus.

Maria conſervabat omnia verba hæc i. e. quod angelus ei dixit, poſtquam conſummati ſunt dies octo ut circumcideretur: & in octava beatitudine, oſtendit paſſionem Chriſti dum dicitur: beati qui perſecutionem patiuntur: circumciſio Chriſti die octavo, oſtendit ſanguinem martyrum, uſque in diem judicii: ſive quia implevit legem & non ſolvit: poſt quam impleti ſunt dies purgationis ejus i. e. duodecim dies de puero, de puella tringinta in lege fuit ut mulier non intret in Eccleſiam: par turturum, aut duos pullos columbarum, per ſævitia turturis oſtendit eſſe prudentiam ſicut ſerpentes, per columbam ſimplices eſſe: par, oſtendit totum ſe homo offerat Deo, revelationem gentium i. e. gloriam fidei: ecce poſitus in ruinam i. e. his qui non credunt, in reſurrectionem: his qui credunt in eum & ſignum i. e. Evangelium: Veni ſeparare hominem adverſus matrem & reliqua: Ut ipſe ait, quæ eſt mater mea? beatus ille venter qui te portabit, & reliqua i. e. ut multi bonas cogitationes cogitent: dum non ſola Maria mater Chriſti eſt.

Et tuam ipſius animam pertranſeat gladius i. e. ſermo Dei, ſive paſſio Chriſti, vixerat cum viro ſuo annos ſeptem i. e. ſynagoga cum eptatico, & non diſcedebat de templo i. e. quia non debet Eccleſia diſcedere de cœlo: puer autem creſcebat i. e. corpore & confortabatur i. e. Spiritu: cum eſſet duodecim annorum i. e. duodecim tribus qui venerunt ad Chriſtum: poſt triduum invenerunt eum: Pater i. e. Eccleſia, & mater i. e. ſynagoga, qui quærebant eum per tres leges & non invenerunt eum, niſi per Evangelium: *& erat illis ſubditus*, oſtendit filius hominis non venit miniſtrari ſed miniſtrare.

Ab anno quinto decimo Tiberii Cæſaris, primus rex, primus præſes in nativitate Chriſti memorantur i. e. dum non cœperant docere: Nunc autem rex quartus Tetrarcha commemoratur, dum ad prædicationem & ad baptiſmum venit: rex ſignificat Chriſtum, & quatuor Tetrarchæ oſtendunt quatuor Evangelia: duos ſacerdotes . e. duas leges: per ſenum numerum, factus eſt mundus: primus rex de Romanis, oſtendit unitatem regni Romanorum, & quartus Tetrarcha ſuper Judæos, oſtendit diviſionem regni Judæorum: factum eſt verbum Domini ſuper Johannem, vade & prædica baptiſmum: Vallis implebitur, i. e. Judæi & gentes: Montes & colles humiliabuntur i. e. qui ſe humiliat exaltat: & erunt prava indirecta i. e. qui fuit luxurioſus, ſit caſtus: & aſpera in vias planas i. e. qui ſuperbus ſit humilis. Videbit omnis caro ſalutare Dei i. e. Judæi & gentes, viri & mulieres.

Venit à Nazareth: in qua nutritus eſt, oſtendit Eccleſia in qua nutritus ſit, homo non obliviſcatur; & ſurrexit legere, hic oſtendit ſi in juniori revelatum fuerit, ſenior taceat i. e. Evangeliſta & pentateucum: ſurgit & Petrus in medio diſcipulorum ſtetit, oſtendit quod non reddendum prædicandum eſt, propter unxit me i. e. non oleum commune, ſed ſpiritale: evangelizare pauperibus i. e. ut beati pauperes ſpiritu, & captivis redemptionem i. e. Judæis de Faraone, & gentes de diabolo: cæcis viſum i. e. Judæis & gentibus: dimitte confractos i. e. Judæos: Lutum fabricandum & gentes idolis ſuplicando: anno Domini i. e. quia annos quatuor tempora habet, oſtendit quatuor Evangeliſtas: & duodecim menſes, duodecim Apoſtolos oſtendit: & diem retributionis i. e. dies judicii: ad litteram, hodie impleta eſt ſcriptura in auribus veſtris.

Multæ viduæ erant in Iſrael, i. e. Eccleſia: Elias ſignificat Chriſtum: Naëman Syrus, ſignificat gentes: filia i. e. nagoga: Giezi i. e. Eccleſia: habens dæmonium i. e. idolis credendum: Quid nobis & tibi? i. e. nobis tormenta tibi gloriam: ſecus ſtagnum i. e. ſecus legem: duæ naves i. e. duas Eccleſias: duc in altum i. e. Chriſtum aſcendentem in cœlum: tota die laborantes nihil cœpimus i. e. per veterem legem nullum duximus ad vitam: Impleverunt ambas naves i. e. quia per Eccleſiam & ſynagogam convertit: ita ut mergerentur i. e. homo qui divitias: & paupertatem non ſuſtinet: exi à me Domine quia peccator ſum, oſtendit i. e. non exivit Dominus, quia non deſerit veram humilitatem.

Noli timere i. e. non timeat peccator medicum: ambulabat magis ſermo de illo i. e. ſanitatis & doctrinæ quando orabat oſtendit theoricam vitam, quando ſonabat, oſtendit actualem vitam: per tegulas i. e. per divinitatem: ſurge & ambula, oſtendit reſurrectionem omnium: exivit in monte orare: & diſcedit ad turbas, oſtendit de theoretica & actuale, in unũ.

Quatuor beatitudines leguntur, quia quatuor virtutes cardinales continentur: caudes, Latinè dicitur cordis: iſtæ quatuor lenes, oſtenduntur quatuor partes mundi: Item octo ad octo animas pertinet qui fuerunt in arca Noë, per quas omne genus humanum, oſtendit mercis veſtra multa eſt in gloria i. e. pro prædicatione, perſecutione & patientia: ſecundum hæc faciebant patres eorum Prophetas i. e. odiebant, exprobrabant & ejiciebant nomina eorum i. e. qui habetis conſolationem veſtram, & non Deo gratias agitis. Non Deo ſed divitiis veſtris: Væ vobis cum benedixerint homines i. e. inimicis veſtris: Nihil diſperantes quod vos habetis date, ut in gloria recipiatis mercedem à Domino.

Nunquid poteſt cæcus cæcum ducere i. e. ſtultus ſtultum docere: ambo in foveam cadent i. e. in perditionem: Ibat in civitatem quod dicitur Naum, oſtendit poſt ſanatum infirmum, ſuſcitavit mortuum, quia infirmitas præcedit mortem: filius unicus matris i. e. Adam de terra portatur à quatuor i. e. à quatuor elementis, unde homo eſt: tangitur locus à Deo i. e. lignum crucis, quia periit Adam per lignum: Homo à terra portatur, quando ſola terrena cogitat, ſive quando æger eſt & ambulare non poteſt; ab aqua portatur, quando luxuriare cogitat, ſive quando pro nimio frigore corpus tangi non poteſt: ab aere portatur, quando omnia pro laude humana agit, ſive quando pro ægritudine flare non poteſt: ab igne portatur quando avaritiam cogitat, ſive quando pro nimia febre, tangi non poteſt: tres mortuos ſuſcitavit Dominus i. e. filium unius matris, & filiam principis & Lazarum, primum in domo i. e. in cogitatione: ſecundo in porta i. e. in verbo: tertium de monumento i. e. in opere, qui minor eſt in regno Dei, major eſt illo, i. e. Chriſtus, quia angeli nati non ſunt: ut dicat minuiſti eum paulo minus ab angelis: tamen Chriſtus major eſt Joanne regnante cum patre juſtificata eſt ſapientia à filiis ſuis i. e. populi & publicani, juſtificaverunt Deum.

Alabaſtrum unguenti i. e. corpus cum fide: ſtans retro i. e. poſt aſcenſionem Domini: ſecus pedes i. e. Apoſtolorum: lacrymas rigabat i. e. caritas interna in Deo: capilli i. e. ſuperflui cibi, & veſtimentum dare: oſculat pedes ejus i. e. cum omnibus pacem habere: Unus debebat denarios quingnetos i. e. peccata gentium commiſſa per quinque ſenſus: Alius quinquaginta i. e. peccata Judæorum: Iſta mulier Maria Magdalena fuit de qua ejecta ſunt ſeptem dæmonia: quis eſt qui peccata dimittit? i. e. potentia divina & virtus: iſta Maria figurat Eccleſiam de qua ejecit ſeptem vitia, quod in ſeptem dies peccavit homo.

Vir quidam i. e. populus gentium: temporibus multis i. e. à principio mundi: Veſtimentum non induebatur i. e. fide Nec manebat in domo i. e. in Eccleſia: ſed in monumentis i. e. conſuetudo peccandi: catenis pedibus i. e. lex naturæ & litteræ: ſedente i. e. in fide; poſt baptiſmum: veſtitum i. e. in immortalitatem: ad pedes ejus i. e. ad Apoſtolos: dimiſit illum & dixit redi in domum tuam, oſtendit de theorica, non venire ad actuale.

Mulier i. e. Eccleſia: fluxum ſanguinis i. e. lex naturæ: ab annis duodecim i. e. duæ ætates.

Tangit fimbriam veſtimenti ejus i. e. credidit in minimum mandatum Chriſti:, quis eſt qui me tetigit i. e. qui me credidit: virtutem de me exiſſe i. e. ad probatum qui fidem habuit: Petrus & Johannes & Jacobus i. e. fides, ſpes, caritas: pater i. e. Epiſcopus: mater, Eccleſia: caſtella & civitates i. e. ſervi & Domini; narraverunt ei quæ fecerant: dies cœpit declinare i. e. fieri nox; dimittit, turbam Judæos.

Vos date illis manducare, i. e. prædicate gentibus, benedixit i. e. Evangelium: fregit i. e. ad litteram: oportet filium hominis malta pati i. e. mori: navigantes ex politia periculo navigii, qui tranquillitatem poſt vidit periculum, exceſſus ejus multa pati ſequenti die i. e. in ſecunda lege: vir de turba exclamavit i. e. Abraham: filius unicus i. e. omne genus: ſubito clamans i. e. iraſcens, & elidit in adulatione proximi: diſſipat eum i. e. in deſperatione, cum ſpuma i. e. cum ſtultitia: manum ſuper aratrum i. e. opus ſuper Evangelium: retro i. e. in mundo: Vomeres i. e. caritas: quatuor boves i. e. quatuor Evangeliſtæ: deſignavit Dominus alios ſeptuaginta diſcipulos, ſicut Moyſes elegit ſeptuaginta preſbyteros de duodecim tribus, i. e. ut ſeptuaginta linguas qui diviſas erant per ſuperbiam in unam linguam, per humilitatem adunare: binos animales in arca & duo diſcipuli

ad prædicationem, caritatem: oſtendit novum & vetus teſtamentum: corpus & anima, vir & mulier, & duo diſcipuli.

Mitto vos ſicut agnos inter lupos: Ego paſtor, vos oves: lupi i. e. Scribæ & Phariſæi: dæmonia ſubjecta ſunt vobis i. e. quod in lege non fuit in ore: ſuper ſerpentes i. e. ſuper etnicos, quia ſerpens non occidit, ſed venenum doctrinæ effundit: ſcorpiones cum cauda & caput equale occidit: idem diabolus, qui initio & fine decipere vult: homo diſcendebat i. e. mundus qui anathema dicitur: in latrones i. e. dæmones: diſpoliaverunt illum i. e. de bona fide: flagellaverunt illum i. e. peccare fecerunt eum: ſemivivum reliquerunt i. e. vivum corpus, conſcientiam & animam mortuam: ſacerdos i. e. Aaron: Levita i. e. tribus Levi cum lege ſua: Samaritanus i. e. Chriſtus: qui eſt de ſuburbanis Samariæ; ipſe interpretatur cuſtos, quia de Chriſto Deo: cuſtodiens parvulos Dominus: alligavit vulnera ejus i. e. per pœnitentiam ſtrinxit peccata: infundit oleo & vino, ſeveritate & ſuavitate ſcripturæ præmio & pœna: in jumentum ſuum i. e. in corpus ſuum; quia per paſſionem humanum genus perduxit ad ſtabulum i. e. ad Eccleſiam: duos denarios i. e. duas leges: dedit ſtabulario i. e. ordo doctorum: quodcumque ſuper erogaveris i. e. quodcumque feceris per diligentiam tuam, de doctrina hominum, ego revertens i. e. ad judicium reddam tibi: Marta i. e. Eccleſia actualis.

Maria i. e. Eccleſia theorica, quæ verba Chriſti ſemper audit: Marta dixit: ut ſoror ſua ſe adjuvaſſe quia opus eſt, activæ vitæ ut ea contemplativa debeat adjuvare: Amice i. e. doctor: Media nocte i. e. in opportunitate: tres panes, oſtendit fidem Trinitatis: Amicus meus i. e. alius pœnitentiam agens de via i. e. de mundo: Non habeo quod ponam ante eum i. e. non ſcio docere eum: oſtium clauſum i. e. oſtium cœli quod non aperit, niſi caritas pueri mei mecum ſunt i. e. virtutes cœleſtes: quod deforis eſt & intus i. e. qui fecit corpus ipſe fecit animam: date eleemoſynam & omnia munda ſunt: & ſi non dederitis immunda ſunt omnia quæ habetis: Noli timere puſillus grex: id ſunt Judæi dixerunt quia crediderunt: quod maledictus fuit in lege qui pauper fiebat.

Lumbi veſtri præcincti: oſtendit caſtitatem: Lucernæ ardentes i. e. opera bona: Ut cum venerit i. e. in dolore: & pulſaverit i. e. anima per mortem: & confeſtim aperiant i. e. ſemper paratum eſſe: tranſiit & miniſtrabit illis i. e. poſt judicium vitam æternam: ignem veni mittere in terram i. e. caritatem: & illi Galilæi decim & octo ſignificant, ſuper quos ceciderit turris i. e. ſpiritus ſanctus, quia ſylva miſſus dicitur: dimitte eam & hoc anno i. e. Evangelium: fodiem circa illam i. e. prædicem, coffinus ſtercoris, peccata confiteri. in futuro i. e. in diem judicii: mulier i. e. humanum genus: ſpiritu infirmitatis i. e. fide & opera: annos decim & octo i. e. duæ leges, ſive qui non impleverunt decem verba legis & non crediderunt in reſurrectionem quia octavo die fit, per tres ſenos, oſtendit infirma fuit ante legem: ſub lege, ſub gratia: inclinata ad terram i. e. terrena deſideria: ſurſum reſpicere i. e. quia cœleſtia per pœnitentiam non requirebat: vocavit ad ſe i. e. per confeſſionem, & impoſuit illi manum i. e. bona exempla: curata eſt, ſpes ſanitatis: prima ſabbati i. e. in futuram requiem: dicite vulpi illi i. e. Herodes, quia diabolus animal eſt, interne habitat, vinea exterminat, ita Herodes diabolus exterminat vinea ut dicitur vinea de Ægypto tranſtuliſti.

Homo hydropicus i. e. humanum genus: fornicator, adprehenſus ſanavit, oſtendit quod tum impetus fornicationis ſanatur: homo i. e. Deus Pater: cœna magna i. e. Evangelium, vocavit multos i. e. Judæos: miſit ſervum ſuum i. e. Chriſtum in carnem: parata ſunt omnia i. e. quod de Chriſto prophetata ſunt: villam emi i. e. pro avaritia ad Chriſtum non veni: juga boum i. e. ſuperbia: aliter juga boum quinque ſenſus, vel quinque libri Moyſi: mulierem duxi i. e. luxuriam: pauperes & debiles, id ſunt qui cognoſcunt peccata ſua: ite in vias i. e. ad gentes: compellite intrare i. e. per confeſſionem: turrem ædificare i. e. Chriſtum ſequi, ſumptus i. e. abrenuntiare mundo: quis rex i. e. Apoſtolos, committere bellum i. e. compenſationem operum: adverſus alium regem i. e. adverſus Chriſtum cum decim millia i. e. cum operibus quæ ſentit homo: cum viginti millia i. e. cum opera, quæ ſunt in occulto, & in pala, legationem mittit i. e. miſerendo, eleemoſynam dando, rogat quæ ad pacem ſunt, ut eſt, non intres in judicio cum ſervo tuo Domine: in terra i. e. in divitias: in ſterquilinium i. e. in paupertatem, mulier quædam i. e. divitias, lucerna accenſa i. e. Evangelium: dragma inventa in domo i. e. peccator in Eccleſia converſus: homo quidam, i. e. Deus Pater.

Duos filios, Judæos & gentes quia Judæis prius data eſt lex: da mihi portionem i. e. vitam præſentem diviſit ſubſtantia i. e. dedit libertatem arbitrii, utroque populo: peregre profectus eſt i. e. à Deo: vivendo luxurioſè i. e. idolis adorando: fame valida i. e. de verbo Dei: uni civium i. e. Philoſopho: in villa ſua i. e. in mundo: paſcere porcos i. e. ut more porcorum vixit: & de ſiliquis i. e. implere ventrem, & non impingueſcere: porci i. e. ſtulti. Mercenarii patris mei i. e. qui viliores ſunt ſervi Dei: panibus ſaturabuntur i. e. doctrina: peccavi in cœlo, ipſi dicunt hoc, qui diabolum patrem habent, qui peccavit in cœlo: miſericordia motus i. e. venit in carne: ad ſervos ſuos i. e. ad Apoſtolos: ſtola prima, fides quam Adam perdidit: annulum i. e. crux in frontem: calciamenta i. e. Evangelium: vitulum ſaginatum i. e. Chriſtus ex duobus legibus mortuus erat: id eſt Adam: revixit i. e. per baptiſmum perierat i. e. in diſperatione: inventus eſt. i. e. in ſpe: filius ſenior i. e. Judæi: in agro i. e. immundo deſiderio: ſimphonias & choros i. e. prophetia & Evangelio: duo ſervi i. e. Iſaias.

Lazarus mendicus: Nomen pauperis dicit, & divitis non; homines bonos ſcriptos in cœlo & malos non: vulneribus plenus i. e. peccatis dives Judæos ſignificat: pauper gentes; canes doctores qui per linguam vulnera ſanant in ſinu Abrahæ i. e. in requie: ſepultus in inferno i. e. in littera: elevans oculos ſuos, quia Judæi oculi fuerunt i. e. boni vivendo uſque ad Chriſtum: vidit, Abraham ſic erit poſt judicium de inferno, vident regnum Dei: ut majorem pœnam habeant, & majore gaudium: extremum digiti ſui in aqua i. e. qui modicas eleemoſynas dant: crucior in hac flamma i. e. in propria pœna: caus magnum i. e. confuſio omnium rerum, ſive vetus lex: recepiſti bona in vita tua i. e. bonum feciſti, recepiſti: Lazarus mala i. e. quia indicta de malis ſuis in vita ſua recepit: quinque fratres i. e. quinque libri Moyſi obſervabant: ſignum exmortuis reſurrexerit, id factum eſt in Chriſto reſurgente: alii ex Judæis crediderunt: ſi lapis molaris i. e. ſi gentiles ut equus molens non vidit cui ſervit, ſive Philoſophos docet Philoſophiam: quæ illi non prodeſt ſed ſanctæ Eccleſiæ: auge nobis fidem, i. e. dum auges mandatum.

Huic arbori moro, i. e. Evangelio, qui rubicundam Chriſti crucem nuntiat: ſicut moro rubicundus eſt: eradicare i. e. populo Judaico & tranſplantare in populo gentili i. e. arbor moro, fructus ejus primus albus, poſtea rubicundus, deinde niger: ita diabolus, dum angelus albus fuit, niger in occiſione Adæ, rubeus in homicidio Cain & Abel: duo molentes, oſtendit duas Eccleſias: vel duo teſtamenta judex & vidua de ſemiplenis, & patientiam habebit in illis ſed non ſemper tacebunt: duo aſcenderunt, unus magnificabat ſanctitatem ſuam & perdiderat eam: alter magnificabat peccata ſua, & perierunt: jejuno bis in ſabbatho i. e. abſque cibo & muliere: quid faciam ut vitam æternam habeam i. e. ut ſupra dictum, talium eſt regnum Dei: & ita Nichodimus ſimiliter cogitabat: quomodo poteſt homo iterum renaſci: non occides & reliqua: quare hæc dixit, quia in ipſo corruit: cum adpropinquaret hiericho i. e. cum venit ad incarnationem.

Vir nomine Zachæus i. e. Judæus fuit & Judæos ſignificat, interpretatur juſtificatus, ſicut Judæi ſe juſtificant: propter turbam i. e. divitiarum & vitiorum: in arbore i. e. crucis: dimidio bonorum i. e. ſubſtantiæ meæ, dò pauperibus i. e. frange eſurienti panem tuum: & ſi quid fraudavi, reddam quadruplum, hoc in lege de animabus dictum & in Evangelio de omni creatura dicitur: homo nobilis i. e. Chriſtus abiit in regionem longinquam i. e. in cœlum: accipere regnum ſibi i. e. regnum cœleſtem & reverti ad judicium: decem ſervi, i. e. omne genus humanum: decem mna, decem verba legis: cives ejus i. e. Judæi.

Miſerunt legationem i. e. occiſionem Apoſtolorum: primus ſervus & ſecundus ordo Apoſtolorum: Mna uniuſcujuſque ſervi i. e. ſcriptura: & ſimiles ſui, utrumque invenit: Lapis clamabat id ſunt gentes Judæi tacuerunt: flevit ſuper eam, oſtendit nos flere peccata noſtra: circumdabunt te i. e. Romani circumdederunt eam undique i. e. intus &